



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De defectibus materiæ. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40214

COMMENTARIA IN RVBRICAS MISSALIS ROMANI.

PARS TERTIA.

De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.



SACERDOS celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiae consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediunt, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

O Prima est diuisio in defectus substantiales, & in accidentales. Substantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione Ministri: quæ tria sunt necessaria ad substantiam Sacramenti. Accedit verbum cum intentione ad elementum, & fit Sacramentum. Accidentales multi esse possunt, neque ad certum numerum reduci possunt.

Collegit hos defectus in Missa ex sacris Theologis, & in Missalem librum transtulit nescio quis, anno 1557. Venetijs impressum. Pij verò V. & Clementis VIII. auctoritate recognitum Opus, quis ambigat, non prodijisse tandem numeris omnibus absolutum? adiecimus nonnulla ex modernis Theologis non contemnenda.

De defectibus materiae. II.

Defectus ex parte materiae possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, & vinum de vite: & ut huiusmodi materia consecranda in actu consecrationis^a sit coram Sacerdote.

a *Si coram Sacerdote.*] Certus terminus huius presentie à solo Christo designari potest, ex Durando in 4. distinct. 11. quest. 6. num. 6. & Palud.

quest. 1. artic. 3. à nobis autem est moraliter diiudicandus ex humano more, quo dicitur res presentis, & ex usu Ecclesie.

De defectu panis. III.

1. b **S**I panis non sit triticeus, vel sit triticeus, c admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit aliqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

b *Si panis non sit triticeus.*] Vult esse triticeum Conc. Florent. in Decreto Eugen. ubi definitur necessaria materia Sacramenti; quidquid dicat Caietan. ibi loqui de necessitate precepti. vide Suarez. disp. 44. sect. 1. part. 3. quest. 5. tum quia figura veteres sub tritico data sunt; tum quia hic est panis communiter ad usum hominum; tum quia ita decet, ob excellentiam tanti Sacramenti. Vbi verò dubitatur esse triticeus, ne adhibeatur, ex

Alano lib. 1. de Eucharistia cap. 11. Sclica, seu secala, probabilius negatur esse triticum in Lombardia, Bonac. disput. 4. quest. 2. pun. 1. numero 2.

c *Admixtus sit granis alterius generis, &c.*] Hæc doctrina est S. Thomae 3. par. quest. 74. artic. 3. ad 3.

Sed, quid si panis confectus sit ex amylo? S. Thom. ibidem negat, quia amyllum fit ex tritico corrupto. Vide falius Suarez. disp. 44. sectione 2.

2. *Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.*

Negat S. Thom. artic. 7 ad 3. supra. affirmat Caiet. ibidem.

3. *Si cæperit 1 corrumpi, sed non sit corruptus, similiter 2 si non sit azymus, secundum morem Ecclesie Latine, conficitur, sed 3 conficiens graviter peccat.*

Prima pars propositionis est sancti Thom. sup. artic. 3. ad 4. Altera est Conc. Florent. & communis. Tertia pars est item communis, de Celebrat. Miss. cap. Litteras. An verò detur casus, quòd possit Latinus in Ecclesia Græca

consecrare in fermentato licitè, vide Suarez ubi supra sect. 3. in fermentato numquam licet apud Latinos, etiam si virgeat necessitas alicuius in periculo mortis, Suarez sect. 3. in fine, Vnum verò.

4. *Si Celebrans ante consecrationem adverterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat, & facta oblatione, a saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desinit.*

d Saltem